

esse decretum absolutum sine læsione libertatis.

31. *Ad tertiam. — Ad quartam.* — Ad tertiam, eodem modo dicimus hoc decretum Dei, de gloria hominis prædestinati, virtute ordinari ad vocationem congruam, ut congrua est, concipique ex suppositione congruitatis ejus jam prævisæ. Vocatio autem illa, licet præcise spectata non sit de se efficax, tamen, ut congrua est, omnino est efficax, et ita, purificata conditione, non impedit quominus decretum Dei sit absolutum. Ad quartam, negatur posse voluntatem humanam resistere illi decreto Dei, sicut non potest resistere vocationi congruæ, ut congrua est, et prævisæ ut tali. Neque hæc impotentia resistendi est contraria libertati, quia non est impotentia simpliciter, sed ex suppositione usus liberi jam prævisi. Nam si voluntas prævisa est hoc volitura in tali tempore et occasione, jam non potest aliter velle, illa hypothese supposita, et nihilominus libere est volitura, quia hoc ita futurum supponebatur; eodem ergo modo non potest voluntas resistere voluntati Dei, quæ ex efficacia sua et sapientia potest applicare media, cum quibus novit voluntatem consensuram.

CAPUT L.

APPENDIX DE PRÆDEFINITIONIBUS CUM ALIARUM OBJECTIONUM RESPONSIONE.

1. *Scopus et summa capituli. — De prædefinitionibus divinis.* — Ut aliis objectionibus satisfaciamus, pauca de prædefinitionibus divinis, quod tertio loco proposuimus, dicenda sunt. Et imprimis, circa verbum *prædefiniendi* seu *præfinitendi* (idemque enim sunt in usu Scripturæ et Patrum), advertendum est in significatione non distingui a verbo *prædestinandi*, nam indifferenter utroque Patres utuntur, ut ex infra citandis constabit. Et in Scriptura idem verbum græcum *ἐπιζω*, vel *προορίζω*, interdum per verbum *prædestino*, interdum vero per verbum *præfinitio* aut *definitio*, a vulgato interprete transfertur, ut videre licet ad Rom. 1, et ad Cor. 2, et ad Ephes. 1, et Actor. 2, et ita hæc verba ut synonyma ponit Salmeron. in Præludiis ad epist. Pauli, tract. 2, disp. 4, ubi etiam addit verbum *prædispono*, quod minus usitatum est, et verbum *prædetermino*, quod etiam in Scriptura non invenio, usu tamen Theologorum receptum est, ut statim dicam. Quia tamen hæc verba ex simplicibus composita sunt, addita particula *præ*, circa utramque

partem aliquid declarandum est, ut in verborum significatione æquivocatio tollatur.

2. *Consideratur verbum destino, vel definitio.* — Circa verbum ergo *destino* aut *definitio*, advertendum est posse, vel ad internos actus animæ, vel ad externos, qui ab illis procedunt, applicari. Nam *destinare*, ad animum relatum, idem est quod proponere, vel intra se constituere aliquid faciendum, juxta illud 2 ad Corinth. 8: *Et destinatum voluntatem nostram*, et cap. 9: *Prout destinavit in corde suo*. Et juxta hanc significationem in Deo explicuit verbum *prædestinandi* Paulus ad Ephes. 1, cum dixit: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ*; et in eodem sensu loquitur ad Roman. 8, dum ait: *His qui secundum propositum vocati sunt sancti*, de quibus postea subdit: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*. Apud Latinos vero sæpe refertur hoc verbum ad exteriores actiones, et significat *mittere*, vel ad aliquod munus aliquem exterius designare. Idem considerare licet in verbo *definiendi*, nam communiter significat, aut verbis describere, seu declarare rei naturam et essentiam, aut certis terminis et limitibus rem aliquam terminare. Frequenter vero refertur ad animum, ut patet ex illo Actorum 2: *Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum*; et cap. 17: *Definiens statuta tempora*; et Luc. 22: *Filius hominis sicut definitum est vadit*. Idem notari potest in verbo *determinandi*; in rigore enim significat exteriorem actionem ponendi terminum certum, vel loci, vel temporis; transfertur vero etiam ad animum, nam, quia voluntas de se indifferens est, cum aliquid eligit vel proponit, determinari dicitur. Et ita, proportionem servata, idem est *prædestinare* quod *prædefinire*, et utrumque verbum potest Deo attribui, vel ratione interni et æterni propositi, ut videre licet in D. Thoma, 1 part., q. 23, art. 1, ad 1, et 3 contr. gent., cap. 90, vel ratione externæ temporalis actionis, qua causam secundam de se indifferentem ad unum determinat, ut nunc moderni Theologi frequenter loquuntur.

3. *In Deo prædefinitio seu prædeterminatione ad intra et ad extra ab auctore distinguitur, et cur.* — Verbi prædefiniendi, et prædestinandi notio. — Tò prædefiniendi, et præparandi quid differant. — Et ideo, in libr. 1 de Auxiliis, capit. 16, numer. 6 et sequentibus, ad tollendam hanc verborum æquivocationem, ne quæstiones confundantur, distinximus in Deo prædefinitioem seu prædeterminationem ab intra

et ad extra, et proposui uti verbo *prædefiniendi*, ad significandum internum decretum Dei, quia in hoc sensu invenio magis usitatum in Scriptura divina verbum *definiendi*, Deo attributum; verbum autem *prædeterminandi*, ad significandam externam actionem prædeterminantem accommodavi; quia neque in Scriptura divina, seu in Vulgata Latina hoc verbum usitatum invenio, ad significandum prædestinationem Dei, et, in rigore Latino, verbum *prædeterminandi* proprie sumptum externam actionem magis significat. Quod si alicui (ut video) hæc accommodatio verborum non placuit, non contendo de verbis, dummodo res ipsa de qua disputatur ambiguitate verborum non confundatur. Idem notari potest in verbo *disponendi*, quod fere idem est cum verbo *præparandi*, in quo similem fere distinctionem notavit D. Thomas, 1 part., quæst. 23, art. 2, ad 3, aliis verbis, distinguens duplicem præparationem: unam, quæ in passo recipitur, quam nos externam vocamus; aliam, quæ manet in agente, quam nos vocamus internam, est enim propria agentis intellectualis, qui præconcipiendo et volendo se præparat ad agendum; et ad hanc inquit D. Thomas prædestinationem pertinere, idemque nos dicimus de prædefinitione, quia, ut dixi, verbum *prædefiniendi* et *prædestinandi*, in rigore, æquivalentia sunt. Inter verbum autem *prædefiniendi* et *præparandi* hæc solet notari differentia, quod ea tantum dicitur Deus præfinire quæ absoluto decreto facere statuit; præparare autem dici potest, et illa quæ sic decrevit, et quæ antecedente tantum voluntate disposuit, nam etiam dici potest Deus gloriam reprobis præparasse, utique quantum in ipso est.

4. Denique, ex dictis intelligi potest verbum *prædefiniendi* (et idem fere est de cæteris, ad propositum voluntatis applicatis), verbum, inquam, *prædefiniendi*, ex vi propriæ significationis suæ, non significare voluntatem Dei per modum exequentis, nec per modum proximi principii efficientis ad extra, sed ad prædefinitionem sufficere propositum per modum intentionis, seu electionis; id enim proprie significat verbum *prædestinandi*, ut ex Paulo notavi, et in propria materia ostendi, et in sequentibus attingam: illi autem verbo æquivalet, ut dixi, verbum *prædefiniendi*. In nobis etiam id constat, recte enim dicimur nobiscum definire, quæ facere intendimus vel eligimus, juxta illud 1 Machabæorum 1: *Multi de populo Israeli definerunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt magis mori, etc.*

Et sic etiam dicitur 1 Regum. 20: *Intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo ut interficeret David*. Et idem est cum proportione de verbo *destinandi*, juxta illud Machabæorum 6: *Destinavit non admittere illicita, et alia quæ supra citavimus*. Ac denique talis definitio vel prædefinitio solum est propositum quoddam voluntatis, quod de se usum et effectum antecedere potest, quamvis ad illam sive physice sive moraliter inclinet, et sive proprie sive metaphorice moveat et inducat. Quod si quis dicat etiam voluntatem æternam Dei executivam, qua in tempore operatur, esse definitionem seu præfinitionem, non multum de verbo contendam, maxime quando illa voluntas est omnino absoluta, dummodo non asseratur illam solam esse voluntatem prædefinitivam, et in ordine intentionis non sufficienter salvari: hoc enim et sine fundamento dicitur, et falsum esse ostendunt quæ adduximus.

5. Tò præ *quid significet.* — Superest dicendum quid denotetur per illam particulam *præ*, ex qua verba *prædefinitio*, *prædestino*, et similia componuntur. Quidam enim novi Theologi volunt in proprietate solum significare antecessorem decreti divini ad omnem præscientiam futurorum, secundum ordinem rationis, et omnem aliam significationem improprietate esse dicunt, et ideo in expositione Scripturæ quoad talia verba non esse admittendam, cum Scriptura debeat in proprietate sermonis explicari, quandocumque commode potest. Sed hæc sententia, quoad hanc posteriorem partem, non habet fundamentum, neque in Latina significatione illius dictionis et compositionis in omni proprietate sumptæ, neque in Patribus aut Scriptura, ut ex dicendis patebit. Dico ergo tria posse per illam particulam et compositionem ejus proprie significari. Primo quidem, interdum significat non durationis, aut antecessoris ordinem, sed dignitatis excellentiam, sicut videri potest in nomine *Prælati*, aut *Præpositi*. Et sic de virgine dicit Ecclesia: *Elegit eam Deus, et præelegit eam*, id est, ad singularem dignitatem elegit. Et hoc significatum in verbo *prædestinandi*, et appellatione prædestinatorum placuit Catherino, quia putavit non omnes salvandos esse prædestinatos, sed illos qui altiori modo, et ad singularem gloriæ dignitatem electi sunt. Neque displicet illa significatio Salmeroni, in dicta disp. 1, neque Lorino ad illa verba Actor. 2: *Hunc definito Dei consilio traditum*. Sed licet significatio hæc non sit impropria,

nobis non est necessaria; tum quia neque auctoritate, neque sufficienti ratione ostendi potest Scripturam uti verbis illis in dicta significatione; tum etiam quia omnino verum esse credimus omnes salvandos esse electos, et omnes electos esse prædestinatos; tum denique quia ponitur interdum idem verbum respectu generalium effectuum providentiæ Dei, ut, Actor. 17, ubi Vulgata habet, *definiens statuta tempora*, græce habetur participium *ὀρίσας*, quod per verbum *prædestinandi* solet in aliis locis verti, ut statim dicam. Adde vero, etiamsi illa significatio admittatur, non esse illa abutendum ad opinionem Catherini de prædestinatione stabiliendam; nam etiam in hoc sensu omnes salvandi prædestinati sunt, quia comparatione reprobatorum omnes fuerunt electi, vel præelecti, id est, ad singularem excellentiam et dignitatem singulari beneficio destinati.

6. Secunda significatio est, ut particula *præ* in illis verbis Deo attributis significet antecessionem æternitatis ad tempus, quam significationem existimo esse propriissimam, et ad explicandam divinam Scripturam, ubi oportuerit, esse aptissimam et sufficientissimam. Hoc probo primo verbis Pauli ad Roman. 8: *Quos præscivit, et prædestinavit*; nam in verbo *præscivit*, particula *præ* non necessario dicit antecessionem rationis ad decretum Dei; ergo sufficienter explicatur per antecessionem æternitatis ad tempus; ergo etiam in alio verbo potest habere eandem significationem omnino propriam. Unde ex vi verborum Pauli solum haberi potest, præscientiam et prædestinationem esse æternam: quem autem ordinem rationis inter se habeant, inde non habetur; quod si ex ordine litteræ argumentum sumi posset, scientiam præire significatur. Sed neque argumentum est efficax, et quamvis admitteretur, non esset intelligendum de præscientia absoluta futurorum meritorum, sed de aliqua alia, ut in proprio loco explicatum est.

7. Confirmari hoc etiam potest, quia verbum græcum *ὀρίσω*, et *προορίσω* quasi synonyma in Scriptura ponuntur, et interdum ubi est verbum simplex *ὀρίσω*, in Vulgata ponitur verbum *prædestino*, vel simile, et e converso, ubi est verbum *προορίσω*, in Vulgata ponitur verbum simplex *decerno* aut *definio*. Exemplis sunt, ad Roman. 1: *Prædestinatus filius Dei*, græce *ὀρισθέντος*; et e contrario Actor. 4: *Quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri*, græce *προώρισσε*; in cap. vero 8 utrumque verbum est compositum, ibi: *Quos præscivit et prædesti-*

navit, et ibi: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*, in utroque enim loco est verbum *προορίσω*. Idem invenietur ad Ephes. 1, ibi: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*, et 1 ad Corinth. 2, ibi: *Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*. Hinc ergo colligimus per illam particulam *præ* significari antecessionem æternitatis: nam propter verbum simplex *definio*, verbi gratia, Deo attributum censetur æquivalens verbo *prædefinio*, quia decreta Dei non possunt esse nisi æterna; ergo signum est per particulam *præ* significari antecessionem æternitatis.

8. *Objectio.* — *Solvitur.* — Dices: ergo in verbis citatis, *quam prædestinavit Deus ante sæcula*, superflue addidisset Paulus particulam *ante sæcula*, quia per particulam *præ* jam id esset significatum. Respondeo, potius inde confirmari quod dicimus, nam illa particula, *ante sæcula*, addita est ad explicandam antecessionem per verbum *prædestinandi* indicatam; sicut 1 Petr. 1, ubi de Christo dicitur: *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem*, ista postrema particula addita non est, nisi ad explicandam cognitionem Dei vocari præcognitionem propter æternitatem. Atque ita verbum *prædestino*, seu *προορίσω*, de antecessione æternitatis exposuit Origenes ad Roman. 1, et auctor commentariorum in eandem epistolam nomine Hieronymi ad Rom. 8, et aperte idem Hieronymus ad Ephes. 1. Item verbum *prædestinandi* non solum usurpatur a Patribus respectu gloriæ, sed etiam respectu gehennæ, ut videre licet in Augustino, 21 de Civit., cap. 24, et in Enchirid., cap. 100, et lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17, et sæpe aliis locis; et Fulgentio, lib. 1 ad Monim., cap. 14, et 17, 27 et 28; et Prosper, ad objection. Vincent., 10 et sequentibus. Ergo verbum *prædestinandi*, in rigore et proprietate, non significat antecessionem ad scientiam, quia Deus neminem prædestinavit ad pœnam ante præscientiam peccatorum; ergo proprietas illius verbi compositi sufficienter salvatur per antecessionem æternitatis ad tempus. Et idem confirmari potest ex verbo *præparandi*; nam in hominibus in rigore solum significat antecessionem per æternitatem, ut ex D. Thoma retuli; idem ergo est in cæteris similibus verbis.

9. Nihilominus addenda est tertia significatio illius compositionis, seu particulæ *præ*, quæ sine dubio est etiam satis propria, nimirum, ut non solum significet antecessionem æternitatis, sed etiam ordinem aliquem ante-

cessionis secundum rationem fundatum, vel in ordine objectorum, vel alia simili ratione, ob quam unus actus Dei tanquam prior alio a nobis apprehendatur. Sic enim quia cognitio objecti præcedit volitionem ejus, hac ratione dici potest præscientia vel præcognitio respectu volitionis; sic etiam, quia intentio finis ratione antecedit electionem mediorum, ideo propositum salvandi electos dici potest prædestinatio ad gloriam, etiam respectu electionis mediorum in particulari; et quia illud est propositum omnino gratuitum, etiam dici potest prædestinatio propter antecessionem ad absolutam præscientiam meritorum. Ac denique, quia effectus quos Deus est facturus futuri non sunt, nisi ex decreto absoluto voluntatis Dei, ideo tale decretum potest dici prædefinitio, per comparationem ad præscientiam ejusdem objecti prædefiniti, ut futuri, vel etiam per comparationem ad ipsammet rem futuram, quæ in hoc sensu ideo præfinita dicitur, quia ex præfinitione habet quod sit futura. Atque in hoc sensu dicuntur in Scriptura vel definita, ut Actor. 17, vel præfinita, Danielis, 11 et 12.

10. In hoc ergo ultimo sensu procedunt maxime objectiones quæ in hac materia ex præfinitionibus Dei sumuntur, quia ad perfectionem providentiæ Dei erga homines et eorum actiones, necessarium existimatur ut Deus hoc ultimo modo omnes actus liberos in particulari, absoluto decreto, et ante præscientiam absolutam illorum, ut futurorum, præfinit; imo aliqui volunt, ut talis prædefinitio dicat antecessionem ad scientiam conditionatam eorumdem futurorum. Et quia, qui ita sentiunt, omnia testimonia vel Scripturæ vel Patrum, quæ de his prædefinitionibus loquuntur, statim accommodant ad hoc genus prædefinitio- nis, seu ad hanc ultimam significationem, ideo voces ipsas accurate distinguere necessarium existimavi; nunc de re ipsa quid sentiam breviter propono.

11. *Assertio principalis prima.* — Primo ergo certum existimo posse Deum prædefinire actum liberum in particulari hoc genere prædefinitio- nis, et salva ejus libertate. Hoc mihi sufficienter probant, quæ ad probandam electionem prædestinatorum adduxi, et in aliis locis hanc etiam assertionem late probavi, et ab auctoribus quibus nunc respondemus libenter admittitur, ideoque in illa confirmanda non immorabor. Addimus vero hanc præfinitio- nem supponere præscientiam conditionatam, et ideo facillime cum libertate actus præfiniti conciliari, sicut de electione ad gloriam expli-

cavimus. Unde etiam adjungimus hanc præfinitio- nem esse in voluntate Dei per modum intentionis actus præfiniti, non per modum voluntatis exequentis, ac per se immediate efficientis ad extra illum actum præfinitum: sic enim non solum esset præfinitio ipsius actus, sed etiam prædeterminatio voluntatis creatæ ad efficiendum, quod ejus læderet libertatem, ut supra ostendimus. Est igitur illa præfinitio, talis intentio quæ virtute includat habitudinem ad congruam vocationem prævisam, et efficaciter applicet voluntatem divinam ad præbendam talem vocationem voluntati, offerendo simul voluntati creatæ concursus necessarium ad actum præfinitum eliciendum. Atque ita fit ut, supposita prædefinitio- ne, infallibiliter illum eliciat, et nihilominus libere, quia illa præfinitio non mandatur executioni per physicam prædeterminationem, sed per congruam vocationem; unde fit ut illa infallibilitas non sit ex suppositione omnino antecedente, sed concomitante, quia supponit cooperationem liberam humanæ voluntatis, sub conditione futuram in præscientia.

12. *Concluditur.* — Unde in hoc puncto tandem concludimus, sicut prædefinire actum liberum hoc modo non repugnat libertati, nihilominus repugnare illi, quod Deus, nullo habito respectu ad usum libertatis sub conditione prævisam, apud se statuat et præfinit facere talem actum, et sua potestate efficaci prædeterminare voluntatem hominis ut illum faciat, quia talis modus præfinitionis induceret necessitatem contrariam libertati, ut satis in superioribus demonstratum est. Et de hoc genere præfinitionis locutus est Damascenus, cum negaverit Deum prædefinire actus liberos, libr. 2 de Fide, capit. 30, et in Dialogo contra Manichæ., quem merito D. Thomas de prædefinitio- ne necessitante explicavit, 1 part., quæst. 23, artic. 1, ad 1. Neque enim alius modus prædefinitio- nis necessitante voluntatem humanam intelligi potest, ut in superioribus etiam est probatum. Quod enim quidam dicunt, Damascenum loqui de præfinitione, per quam Deus præparat effectui causam ex se minime indifferentem, sed intrinsece determinatam ad unum quoad specificationem et exercitium, valde alienum a ratione est, quia ridiculam reddit Damasceni doctrinam. Ille enim agebat de voluntate humana, quam supponit esse liberam, et in suis actibus indifferentem, et de illa dicit Deum non prædefinire ejus actus, ne liberum ejus usum impediatur, et quia nec vitium admitti vult, et rur-

sus nec virtuti vim affert, quæ rationes evidenter ostendunt ipsum loqui de prædefinitione inferente necessitatem ab extrinseco illi potentiæ, quæ de se liberæ operationis est capax. Nam talis prædeterminatio ab intrinseco, respectu objectorum de se indifferentium, et stante iudicio rationis, involvit in se repugnantiam et contradictionem, supposita natura voluntatis; ridiculum ergo esset dicere Deum non præfinire actus tali genere determinationis, seu necessitatis, hoc enim in nullius mentem unquam venit. Loquitur ergo Damascenus de præfinitione extrinsecus necessitante, quæ, ut dixi, alia esse non potest, nisi qua statuit Deus efficacia sua prædeterminare voluntatem ad actum præfinitum, ut satis jam explicatum est. Atque ita responsum est ad secundam objectionem principalem, in præcedenti capite positam. Ex dictis enim sequitur hoc genus præfinitionis antecedentis non esse possibile salva libertate, sed non ideo sequitur tolli omnem præfinitionem, nam est vera et sufficiens præfinitio, quæ, licet præcedat ordine rationis actum absolute futurum, nihilominus non est suppositio simpliciter antecedens, propter usum libertatis præcognitum, et in ipsa præfinitione virtualiter observatum.

13. *Assertio secunda.* — Secundo, dicimus Deum nullo modo prædefinire actus liberos malos, non quia id repugnet libertati, sed quia contra ordinem divinæ sapientiæ et bonitatis esse credimus. Hanc veritatem, præter Damascenum, docuerunt satis expresse Leo Papa, sermon. 16 de Passion. Domini, ubi, tractans verba Actor. 4, *facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri*, accurate distinguit inter passionem et actionem, dicitque passionem fuisse decretam a Deo, non vero actionem: *Numquid (ait) iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio? Et illud facinus, quod omni majus est crimine, divinæ præparationis manus armavit?* ubi certenon habet locum distinctio de præfinitione malitiæ, vel actionis malæ; nam de actione ipsa loquitur Leo, cum illam a passione distinguit; nec poterat manus præparationis divinæ non armare manus exequentes Judæorum, si eorum realem actionem Deus ex se et suo prævio consilio præfinivisset; nam qui intendit efficaciter actionem, necesse est ut præparet media, quibus infallibiliter eveniat. Eandem præfinitionem malorum actuum sub nomine prædestinationis negat, et impugnat late Fulgent., libr. 1 ad Monim.; nam cap. 14 proponit quæstionem, an, sicut Deus prædestinat

bona opera, ita etiam prædestinet mala; et cap. 17 negat, *quia non ipse fecit ut fierent*, et quia *initium talis voluntatis non est ex Deo*, ut persequitur cap. 19 et sequentibus, ex quibus evidenter constat illum etiam de ipsis actibus, prout sunt reales operationes, loqui. Quæ est etiam aperta sententia Prosperi ad object. Vincent., in 10 et sequentibus usque ad finem, et ad cap. Gallorum, cap. 12, 14 et 15, et in sententiis quæ illis correspondent, ubi pro regula tradit Deum non prædestinare opera *quæ nec ipse fecit, nec ut faceremus cægit*. Et sic etiam dixit Augustinus, lib. de Dono persever., cap. 22, quod *Deus omnia quæ prædestinavit implevit*. Et ideo in aliis locis non tribuit prædefinitioni Dei omnes voluntates hominum, sed addit sub disjunctione permissionem, ut constat libr. 3 de Trinit., capit. 14. Unde sumpta est regula 58 apud Prosperum: *Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum; nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili et intelligibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur, aut permittatur*; et in Enchirid., capit. 95: *Non fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*.

14. Dixi autem Deum nullo modo prædefinire nos actus, quia non solum illos non prædestinat illa prædefinitione quæ antecedit secundum rationem præscientiam absolutam futuri actus prædefiniti, sed etiam neque illos intendit voluntate antecedente, neque voluntate consequente illorum præscientiam eos acceptat, aut simpliciter vult, quamvis, illis jam prævisis futuris, ad alios effectus suæ providentiæ a se intentos, et aliquo modo prædefinitos, illos ordinet. Hanc censeo esse sententiam communem Theologorum, in 1, d. 47, et in d. 38, et dictionum Patrum, præsertim Augustini, in locis allegatis; et in Enchirid., cap. 100 et sequentibus, et libr. 4 de Civit., c. 27, et enarrat. in Psalm. 16, circa illa verba: *Ut non loquatur os meum opera hominum*; et alibi frequenter, ut in libr. 3 allegatum est. Explico autem breviter, et probo singulas partes. Et imprimis de primo et riguroso modo præfinitionis, quæ præcedat scientiam futuram per modum absolutæ et efficacis intentionis, videtur res nimis certa; quia quod Deus sic intendit, etiam procurat et providet media quibus infallibiliter eveniat, quod Deo tribui non potest circa actus peccatorum, ut, ex ipsis terminis, cuilibet debita fide ac pietate rem consideranti evidens videbitur, et latissime

lib. 3 ostensum est, estque expressa sententia Damasceni, loco statim citando.

15. Secundo, addebam Deum non prædefinire hos actus quolibet alio modo, quod probatur, quia Deus non intendit illos, quantum est ex se, ac subinde nec intentione absoluta, ut dictum est, nec intentione simplici, seu antecedenti, aut quantum ex se, quod docuit Damascenus, lib. 2 de Fide, cap. 29, dicens: *Ex his quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quæ bona sunt, primarie vult, gratiaque habet Deus; mala contra, nec primarie, nec secundarie, verum libero arbitrio ea permittit*. Dicitur autem Deus primarie velle ea quæ ex sua mera voluntate intendit, sive absoluto actu, sive conditionato illa intendat, sicut vult omnes salvari; hoc enim exemplum in eodem capite adhibet Damascenus. Ergo, ex illius sententia, etiam illo modo non intendit Deus actus peccatorum. Et si quis totius capituli discursum legat, facile intelligat eum loqui de actibus ipsis, ut sunt opera realia, quæ adjunctam habent malitiam. Et sane merito, nam hoc satis est ut a Deo, quantum ex se est, non intendantur, quod est valde consentaneum Scripturis, et rationibus factis in lib. 3, quæ hic repetere non est necesse.

16. Neque de his actibus reputamus inconveniens quod in confirmatione secundæ objectionis in præcedenti capite inferebatur, scilicet, aliquem actum realem fieri præter intentionem Dei. Quid enim mirum est quod sit præter intentionem ejus, id quod Scriptura simpliciter docet esse contra voluntatem, et contra præceptum ejus? Hoc enim affirmat Scriptura non tantum de malitia talium actionum, vel de illis, ut malæ sunt, sed simpliciter de ipsis actionibus materialibus libere factis; ita enim a Deo prohibentur, ut in dicto libro 3 ponderavimus. Unde inductione facile ostendi potest multa homines facere, vel voluntarie omittere, præter, vel etiam contra intentionem Dei. Quando enim Deus homini inspirat fidem, et ille vel non vult credere, vel vult in suo errore persistere, profecto præter intentionem Dei agit, quia Deus nihil tale intendebat. Quis enim dicat Deum, cum aliquem vocat, intendere ut resistat? Imo potius intendit vere et ex animo, quamvis non absolute, sed quantum est ex parte sua, ut homo tunc consentiat, et contra hanc intentionem Dei agit qui resistit, etiamsi non agat contra intentionem absolutam, hæc enim frustrari non potest. Neque hoc derogat perfectioni divinæ providentiæ circa tales actus, etiam ut

actus sunt, ut in secunda et quarta objectione opponeretur, quia, licet non intendantur a Deo, non casu, nec fortuito eveniunt respectu ejus, nec sine cura et providentia ejus eveniunt, sed ex certa scientia et voluntate permittendi illos, et concurrenti ad illos cum libero arbitrio ipso se determinante: id autem quod me sciente, et voluntarie non impediante, cum possem, mihi evenit, non potest dici casu aut fortuito mihi accidere, ut per se constat.

17. Denique addimus Deum nullo modo velle simpliciter hos actus peccatorum, ut reales et positivi sunt, etiamsi prævideat illos esse futuros postquam illos permisit. Potest tamen velle aliquos effectus eorum, et ipsos etiam ordinare ad fines suæ providentiæ, juxta infinitam sapientiam suam; et ita etiam potest aliquo modo præfinire tales effectus, et bona quæ ex illis malis elicit, licet ipsa mala nullo modo præfiniat. Tota hæc doctrina sumitur ex Augustino locis allegatis, et in lib. de Liber. arbitr., cap. 20, et lib. 5 Genes. ad litter., capit. 20, et declaratur breviter per partes. Nam imprimis est certum, si sermo sit de peccato, ut peccatum est, Deum nullo modo et in nullo signo velle illud simpliciter et absolute, etiamsi, postquam illud permisit, præsciat esse futurum, quia est objectum pravum, et proinde incapax divinæ benevolentiae seu complacentiæ, et ita in hoc omnes conveniunt. Addimus vero quod, licet in talibus actibus per se spectatis, et præcisa malitia morali, sit aliqua bonitas transcendentalis seu physica, nihilominus, propter conjunctionem quam habent cum malitia morali, quæ a tali actu hic et nunc a tali persona libere facto inseparabilis est, et ideo talem actum nunquam posse simpliciter placere divinæ voluntati, quia voluntas fertur in rem prout est in se, et illam formaliter volendo, virtualiter vult quidquid est cum illa inseparabiliter conjunctum: Deus autem nullo modo potest velle malitiam, nec formaliter, nec virtute, nec explicite, nec implicite, et ideo non vult talem actum, nec complacet in illo (*Mundi enim sunt oculi ejus*, ut Scriptura dicit), ne utique scientia approbationis, et ita hoc probant alia testimonia, quibus Deus ostendit quanto odio peccata prosequatur, quæ supra lib. 3 tractata sunt. Atque ita fit ut Deus nullo modo prædefiniat talem actum, sive prædefinitione antecedente secundum rationem præscientiam absolutam ejusdem actus futuri, sive subsequente ad eandem scientiam, et antecedente sola duratione æternitatis, quia utraque præfinitio re-